



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Exempla, In Septem Capitalivm Vitiorvm Detestationem,  
Per Qvadragesimam, An. 1646. narrata**

**Stengel, Georg**

**Ingolstadij, 1649**

§. 11. Extrema pericula sæpe docent sapere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49161](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-49161)

*sanguinem pretiosum, qui in salutem tuam aliorumq; effusus est. Hæc effatus desijt videri.*

**XI.**

**EXTREMA**  
**PER CVLA**  
**SAEPE**  
**DOCENT**  
**SAPERE.**

Diuina hac voce iteratò fulminatus adolescens, spe & animo destitutus, pallido & buxante vultu, ac toto corpore contremiscens, cùm nesciret, quid sibi consilij, in rebus tam deploratis, capiendum esset, vbi primum diluculauit, extemplo pium suom fratre jussit accersiri; quem antè, vt anguem erat auersatus. Sed multos sæpe extrema pericula, ad extrema remedia compulerunt: vt que arcta fames, optimum cibi condimentū, etiam mucidum panem sapidum facit; ita summa necessitas grata reddit, à quibus ante abhorrebamus. Adfuit illico vocatus, & se vocari lætus, sibi pariter ac fratri est ex animo gratulatus. Verùm vbi eius tam miserandum aspexit vultum, vt videretur sibi fratrem, in ipso fratre, amisisse; vehementissimè obstupescens, cœpit ingemiscere, atque vbertim lachrymare. Venit mihi hîc in mentem id, quod de amicis Iob scriptum legimus. Nam audientes tres amici Iob omne malum, quod accidisset ei, venerunt singuli de loco suo, Eliphaz Themanites, & Baldat Subites, & Sophar Naamathites. Condixerant enim, vt pariter venientes visitarent eum, & consolarentur.

**Iob. 2. II.**

eur. Cumq[ue] eleuassent procul oculos suos, non cognouerunt eum, & exclamantes plorauerunt, scissisq[ue] vestibus, sparserunt puluerem super caput suum in cœlum. Et sederunt cum eo septem diebus, & septem noctibus; & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem esse vehementem. Ad eundem modum, conspecta tam lamentabili facie fratris, videtur mihi diu silens optimus ille adolescens semetipsum prius cogitando, quam mente & corpore pessimè ægrotantem consolando excitauisse. Et efficacius dicuntur, quæ dicuntur meditatè. Satis igitur esse censuit, si lachrymis loqueretur, secumque diu tacitus calamitosum fratris statum considerauit: è quo ut eum eriperet, varia illi consilia inciderunt. Diligebat eum, ut hominem; amabat ut fratrem, seruare cupiebat, ut pereuntem. Et quid, inquietabat, ago? si diligo, succurro; emendo. Nam etiam quem diligit Dominus, corripit, & quasi Prou. 31 pater in filio complacet sibi. Quis enim filius, quæ Hebr. 12, non corripit pater? Amantis Dei signum est, si conscientiæ morsu admoneat reuocetque peccatorem; cur eum amorem non imitetur frater? Nullum maius diuinæ iræ signum est, neque grauior, in hac vita, potest esse poena, quam si summus ille rerum Arbiter,

**Ezech. 16.** peccantem cesseret admonere. Summè irati comminatio est : *Et requiescat indignatio mea in te, & auferetur zelus meus à te, & quiescam, nec irascar amplius : itemque, Iuravi, ut non irascar tibi, & non increpem te. Vides, quia tunc magis irascitur Deus, cum non irascitur?*

**S. Bern.** ait S. Bernardus. **Serm. 42.** Quid agam ? an ego sic irascar ? Non est mihi hīc irascendi , sed diligendi tempus. **in Cant.** Non sum pater ? sum tamen

**Proe. 18.** frater. Frater, qui adinatur à fratre, quasi ciusitas firma. Sed sum natu minor ? at omne ani-

**Eccli. 13.** mal diligit simile sibi ; sic & omnis homo proximum sibi ; cur hac ego dilectione abstinebo ?

cur tacendo videbor facta eius approbare ? aut de eo, tanquam inemendabili desperare ? Sed sāpe me iam repulit admonentem ? Atqui jam vltro vocauit, morbus eum domuit. In tempore veni. jam est occasio ulceris secandi. Erumpe, anime, in lachrymas, & verba , quæ leniri vultu possunt, ut cole- rentur; apud Deum perdi non possunt, si apud fratrem repudientur.

**XII.** Ita secum tacitè sermocinatus, tandem in  
**CORRE-** has voces erupit : *Heu mihi, frater charissime,*  
**CTIO FRA-** *qualis es, quantum mutatus ab illo, quem de for-*  
**TERNA.** *mositate omnes, cum admiratione, paulò ante,*  
*prædicauerunt ? quem certatim tot pueri, & tot*  
*matroni*